

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Alberti v. Haller Domini In Goumoens Le Jux Et Eclagnens.
Præsidis Societatis Reg. Goettingensis ... Primæ Lineæ
Physiologiæ In Usum Praelectionum Academicarum**

**Haller, Albrecht von
Lausannæ, MDCCLXXI.**

VD18 11701269

Cap. XX. Omentum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17141

tæ, & dura, sed crassa, pro pylori portione, corpora diutissime retinentur.

DCLII. Potus autem non minima portio in ipso ventriculo resorbetur in venas pendulas, hiantes, similes arteriolarum exhalantium DCXXXIII. & in sanguinem brevioris via recipitur, manifesto argumento ab injectionibus repetito. An aliquid in lymphatica etiam venit DCXXXI?

DCLIII. A copia nimia ciborum, & acrimonia, aut nausea, a bile retroeunte, aut alia causa, irritatus ventriculus motu antiperistaltico cibos sursum repellit, & per patulum laxatum oesophagum, reddit vomitu. Sed adjuvat vis abdominalium musculorum, qui ventrem comprimunt, costas adducunt, dumque contrahitur descendens diaphragma, fortissimo conatu inter prelum quasi elisum ventriculum evacuant.

DCLIV. Verum naturali via ad duodenum compulsus cibus offendit ibi bilem, non raro in ipsum ventriculum refluxam, & succum pancreaticum. Illius præcipui digestivi liquoris indoles requirit historiam eorum viscerum, quæ sanguinem suum venæ portarum tradunt.

CAP. XX.

O M E N T U M.

DCLV. *Peritonæum* dicitur membrana

firma, simplex, qua omnia viscera abdominalia coercentur. Id intus levissima superficie, rorida, in vitiosa vincula frequenter concrefcibili, extus tela cellulosa undique ambitur, laxissima & obesissima ad renum sedem, brevissima ad muscutorum transverforum inferiorem tendinem. Incipit a septo transverso, quod totum sublinit, & inter fibras carneas costales ultimas, atque lumbales externas, id septum solum cum pleura perficit, cum qua per varia foramina septi continuatur. Descendit posterius ante renes, anterius retro abdominis musculos, demergitur in pelvim ab ossibus pubis, insidet vesicæ, retro eam descendit, iterumque ad ureterum ingressum duabus lunaris plicis retrorsum delatum, ante rectum intestinum conjungitur cum parte sua, quæ lumbos vestiebat, & eo loco ante rectum intestinum est.

DCLVI. Cellulosa tela exterius peritonæo circumposita plurimis locis in vaginas continuatur, quarum una utrinque testem recipit: alia vasa iliaca, aliæ intestinum rectum, & vasa majora pelvis, & obturatoria, & penem, vesicam, & aortam, & gulam in pectus adscendentes & vertebrae comitantur, & quarum ope cum universo hominis corpore commercium est cum peritonæo, in hidropicis memorabile.

DCLVII. Sed varie educitur, ut viscera

operiat. Breves quidem productiones sunt, quas *ligamenta* vocant: & quæ peritonæi duplici continua productione fiunt, recedente ab ejus facie interna, mediam complexa telam cellulofam, adcedente ad viscus suum: ibi separantur laminæ, & diductæ viscus amplectuntur, media vero cellulosa subjicit se membranæ huic *tunica*, & visceris carnem veriore cum ea conjungit. Hujusmodi breves productiones tres ad hepar, ad lienem unam vel duæ, ad renes suæ pariter perveniunt, adque latera uteri vaginæque. Ita viscerum tenera natura in motu & concussione defenditur, & tota moles, ne ponderosa vagetur sibi que noceat, contra firmum peritonæi parietem tutissime religatur.

DCLVIII. Omnium vero nobilissima productio peritonæi est, quæ *Mesenterium* dicitur, & *Mesocolon*, cujusque descriptionem non oportet separare, etsi difficilis sit, quæ verbis depingatur. Ergo primo simplicius dicendum *Mesocolon*. In pelve peritonæum ante rectum intestinum breviter se conjicit. Sed ubi hoc in testinum in flexum semilunarem laxatur, ibi peritonæum longe a mediis vasis iliacis pfoæque sede, elevatur, duplex (DCLVII.), & in eam figuram factum, quæ cavo colo intestino aptetur. Sed superius, in sinistro tamen latere, colon fere absque media productione, quæ libera sit, conjungitur peritonæo, pfoæ musculo instrato, ad sedem usque lienis, ubi

hoc ipsum peritonæum, quod tunicam collo dedit, sub liene tensum, cavo superiori recessu id viscus recipit, firmatque.

DCLIX. Inde peritonæum, & a rene sinistro & ab utriusque renis intervallo, magnisque vasis, & a rene dextro, emergit antrorsum, sub pancreate, & continuum producit latum satisque longum *Mesocolon transversum*, quod ad septi modum partem abdominis superiorem, in qua ventriculus, lien, pancreas & hepar sunt, ab inferiori dividit. Hujus inferior lamina, simplex, a dextro mesocolo in sinistrum continuatur, & satis magnæ parti duodeni inni, & descendens pro externa membrana est. Superior vero, impedita magnis, a rene & venæ cavæ sede abscedit de peritonæo lumbari, dexterius quam duodenum, dat ei externam laminam, non penitus ad pylori usque valvulam, & trans hoc intestinum transque colon, cum inferiori lamina conjungitur, ut magna pars duodeni in cavitate mesocoli sit. Deinde ad sedem hepatis mesocolon inflectitur, & porro secundum ejus lateris renem descendens, multo brevius, colon dextrum continet, ad cæcum usque intestinum, quod iliaco musculo insidet, & cuius adpendicula proprium, longum, falcatum mesenterium nactam est. Ibi terminatur mesocolo, fere ad divisionem aortæ.

DCLX. Totum Mesocolon, & totum mesenterium cavum est, & potest inter duas

laminas sibi similes aer adigi, ut in faccum se expandat. Qua intestinum colon idem sustinet, etiam de recti intestini parte continuum cum membrana extima intestini mesocolon abit in bursulas tenues, omenti similes, plerumque geminas sine suo libero crassiores & bifidas, aerem inter mesocoli laminas impulsam admitturas.

DCLXI. Inde porro *Mesenterium* sequitur, amplissima, plicata productio peritonæi, transverso mesocolo & dextro continua, ab lateris dextrum emergentis duodeni, indeque longe mesocolo utrinque ad pelvini usque exeuns. Mesenterium, sub transversis mesocoli parte dexteriori, a sede peritonæi, quæ aortæ incumbit, sub pancreate descendens, infinitis in ambitu plicis, longissimam seriem tenuium intestinorum continet.

DCLXII. Mesenterii, & Mesocoli sedes omnes, & eo magis, quo longiores scire sunt, adipem habent, collectum in intervallo necessario duarum laminarum, & interjecta vasa circum adipem ludentia, quem arteriæ separant, venæ, ut dicitur, resorbent, tum numerosissimas glandulas in juniore homine magis conspicuas.

DCLXIII. *Omentorum* natura mesenterio satis propinqua est. Multæ autem particulæ sunt, quæ hoc communi nomine veniunt, fabrica & utilitate pares, omnes tenera factæ membrana, facillime lacerabili, per quam vasa reticulata incedunt, secundum

dum quorum ductum adeps in strias dispositus sedet. Hæc membrana semper duplex est, & inter ejus lamellas, tenerrima cellulosa tela arcte conjunctas, vasa repunt, & pinguedo congeritur. Et primum, ubi ren summus dexter, & hepatis lobulus caudatus, subjectus vasis magnis, & duodenum intestinum in angulum conveniunt, ibi externa membrana coli, quæ a peritonæo est, & conjuncta duodeni membrana, quæ & ipsa quam proxime a peritonæo oritur, incumbente reni, retrorsum in hepatis fissuram transversam longe se inmittit, continuatur ejus externæ tunicæ, vesiculam fellis continet, vasa hepatica fundat, flava tota & lubrica. Pone hanc membranæ productionem, inter hepar dexterrimum, & hepatica vasa, portarum venam, ductus bilarios, & arteriam vicinumque duodenum, ostium naturale est, quo flatus in omenti eam, quæ dicitur caveam, late recipitur, deinde & in reliquorum omentorum saccos.

DCLXIV. Inde, continuo cum hac membrana ductu [DCLXIII] a pyloro, & a curvatura ventriculi minore, membrana externa hepatis & ventriculi ita conjunguntur, ut ex fossa ductus venosi membrana hepatis tenera, trans lobum minorem, in ventriculum continuetur, prætensa lobulo, & pancreati. Hoc *minus omentum* est, *Hepaticogastricum*, quod conum recepto flatu refert, & sensim durius, emaciatum, in

R

verum ligamentum abit, quo œsophagus eum septo transverso conjungitur DCXXIII.

DCLXV. Sed majus omentum *Gastrocolicum*, longe amplius est. Incipit ad arteriæ Gastroepiploicæ dextræ primam ad ventriculum adhesionem, a lamina superiori mesocoli transversi (DCLIX) ibi continuatum, deinde a ventriculi curvatura majori tota ad lienem usque, porro a gibbo ventriculi dexterrimo versus lienem, donec & ipsum in ligamentum abeat, quod lienem summum, postremum, & ventriculum conjungit. Hæc *anterior lamina* est.

DCLXVI. Ea fluctuat, deorsum producta, ante intestina, modo ad umbilicum, modo ad pelvim usque, pone abdominis musculos, donec ex ima acie contra se ipsam revoluta adscendat, media inanitate ab anteriori lamina remota, & in coli transversi externam membranam longissime, & denique in lienis sinum continuetur, qui vasa magna recipit, inque gula sub septo transverso finiatur. Pone ventriculum, ante pancreas cum cavea minoris omenti continuatur.

DCLXVII. Huic omentum *Colicum* cohæret, quod dexterius oritur, quam prima a mesocolo origo omenti Gastrocolici, cum ejus cavea continuum, sed a solo colo ejusque membrano externa natum, quæ duplex abscedit ab intestino, producitur, & conico

fine, modo longius, modo brevius, supra cæcum intestinum terminatur.

DCLXVIII. Omenti utilitas multiplex est. Communis quidem cum mesenterio est, laxa spatia parare, in quæ adeps effundatur, & adservetur per somnum & quietem, ut per motum majorem dissolvi, venisque sorbentibus reddi possit, & bilis principem portionem constituere. Hinc modo crassissimum reperias, ad pollicem, modo tenue, charta longe pellucidius. Nam in venas adipem recipi, demonstrant omenta hominum diversissima mole & pinguitudine reperta, prout ii vel segni vita, vel laboriosa aut morbida fuerint: phænomena in brutis animalibus: analogia reliqui per univrsum corpus humanum adipis [XX]; natura bilis manifesto inflammabilis. Huc refero vitia digestionis, cruditates, frigus ventriculi, a resecto omento observata.

DCLXIX. Omnis enim sanguis, qui ab omentis & a mesocolo redit, is omnis in venam portarum convenit, & adeo in hepar ipsum. Et omentum quidem Gastrocolicum sanguinem habet ab utraque Gastro-Epiploica arteria, per plurimas descendentes, & reticulatas propagines, quarum longiores sunt, quæ maxime laterales; imæ minutis ramis cum coli arteriis coeunt. Adcedunt a splenicis duodenalibus & adiposis furculi. Colicum omentum a colicis arteriis, perinde ut illa minora, vasa ha-

bet [DCLX] tum a duodenali, & a dextra epiploica. Omenti minoris arteriæ sunt ab hepaticis, a coronaria dextra, a sinistra.

DCLXX. Nervos omentum perexiguos habet, ut indolens & pingue, eos vero ab octavi paris nervis natos, tum in majori, tum in minori curvatura ventriculi.

DCLXXI. *Mesenterii* arteriæ eadem in universum sunt, quæ etiam intestina adeunt, & quarum minores rami in glandulis & adipe mesenterii manent. Adcedunt minores variæ, ad mesocolon utrumque arteriæ, ab intercostalibus, spermaticis, lumbalibus, capsularibus, ad transversum a splenica arteria, a pancreatico duodenali; ad mesocolon sinistrum ab aortæ ramulis, glandulas lumbales adeuntibus.

DCLXXII. Venæ omenti in universum sociæ arteriarum, & in similes truncos confluent; in splenicum quidem ab omenti gastrocolici parte sinistra, & ab hepatico-gastrico, quod etiam ad truncum venæ portarum sanguinem mittit; in mesentericum vero truncum a gastrocolici omenti dextra parte majori, a colico, & ab appendicibus epiploidibus. Mesentericæ venæ omnes in unam confluent, quæ verus truncus venæ portarum est; in duos primo magnos ramos collectæ, quorum alter Mesentericus gastroepiploicam venam, colicasque medias, & ileocolicam, & tenuium

intestinatorum omnes venas ad duodenum usque recipit: alter, qui transversim euns priori se super oriens duodenum inmittit, sanguinem revehit colicarum sinistrarum venarum, & recti intestini, exceptis infimis, quæ partim a vesicalibus sunt, partim ab hypogastricarum ramis pelvi exeuntibus. Ista vena, quæ *hemorrhoidalis interna* dicitur, nonnunquam in splenicam potius, quam in mesentericam se inserit. An & *lymphatica* habet omentum? Certe & in minori omento, & in gastrocolico glandulæ conglobatæ sunt, & veteres observatores vasa pellucida in omento viderunt, & nuper, qui pro lacteis ventriculi habuit.

DCLXXIII. Alia omenti utilitas est, interponere se intestinis & peritonæo facile concreturis, priorum mobilitatem integram servare, tum super se ipsa, tum super peritonæum, adtritum minuere, fibras musculares blandissimo oleo obungere. Ideo etiam in infectis multus intestinis adeps circumfunditur. In crassis intestinis plurimæ appendices sunt, quod & majores lacertos nacta sint, & non omnia omento tegi possunt. Sed etiam vasa ordinat idem, ea perfert & stabilit, viscera vicina connectit, vaporem mollem exhalat, qui, mistus cum aqua exhalante abdominali, viscera omnia inungit, & lubricat.

DCLXXIV. Mesenterium intestina fundat, ut cum stabilitate mobilia sint; vasa sanguinea & lactea nervosque fulcit, & tuto perfert, glandulas, ut alibi dicetur, locat, membranam externam intestinis induit, omenta pleraque producit.

DCLXXV. Sed præterea sanguis per venas mesentericas refluus, & per mesocolicas, adfert ad hepar præcipuam aliam bilis partem, nempe aquam equidem copiosam, subalcalicam, ex omnibus intestinis tenuibus resorbtam, ut suo loco demonstrabitur. Deinde a crassioribus intestinis aquam etiam, sed putridiorem, fætidam, alcalinæ volatili naturæ proximam, de fæce alvina, jam olida, resorbtam, hepatis tradit, quam sua etiam experimenta, & vel sola siccatio fæcium diutius in alvo retentorum, facile revincunt. Hæc enim aqua & ex sua indole fluida est, atque fluidior per putredinis initium: contemperat adeo lentorem olei omentalis, mesenterici, & a coagulatione fervat. Sed addit inprimis bili rancidum illud, alcalinum, quo abundat, unde mira tenuitas, vis tinctoria, saponacea, bilis, pene unice pendet.



C A P. XXI.

L I E N.

DCLXXVI. *Lien* & ipse inter viscera est, quæ ad hepar sanguinem suum mittunt. Pulposus, cruentus, livens, crassulus, circumferentia ovali, sæpe per marginem incisus, etiam in lobos divisus, hinc ad costas convexus, inde cavus, duabus facieculis anteriori, & posteriori, quarum illa ventriculo, hæc septo transverso obicitur, per ingressum vasorum divisus: extremitatibus duabus, quarum inferior & anterior acutior est. Ventriculo per omentum minus, & ligamentum superius connexus, sustentatus a proximo colo, & a ligamento (DCLVIII), posterius capsulam adtingit, renique per peritonæum connectitur. A septo transverso peritonæum etiam recipit, ligamenti nomine, in sinus cavi sui partem posteriorem, pone vasa. Situs variabilis est, & ventriculum sequitur. Quando is inanis est, tunc lien magis ad perpendicularum ponitur, & finem habet superiorem & inferiorem. Quando repletus ventriculus media curvatura antrosum adsurgit [DCXXII] tunc una lien situm mutat, & extremitates habet anteriorem, & posteriorem, ut pene transversus sit. Sic moles ejus, cum sit mollissi-